Archibald Philip
Earl of Rosebery

lo

87

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/gaudiapoeticalat00balt

ROSEBERY
DURDANS.

Davidias Poetica.

Latina, Anglica, et Gallica
Lingua composita.
Aº 1769.

Augustae
Litteris Späthianis.
MDCCLXX.



Linneo

Optimo, Sapienti, Sagaci, totius Europæ
Oraculo, Ornamento, Regni Suecici
Viro Nobilissimo
Fridericus de Baltimore
Sequentes Versiculos Hexametros
festino calamo scriptos cum
Affectione aeterna.
D. D. D.

Coelestis animae, et mentis dotes, ter maximi Linnei Upsali veneratus sum. Est enim illi ingenium, labor indefatigabilis, studium, doctrina, experientia, sapientia et summa Philosophia. Non solummodo Sophos, sed Sagax est. Ad tam præclara mentis dona accesserunt vitae probitas singularis, mansuetudo, modestia, veritas, et eximia benevolentia. Caeteras ejus virtutes taceo, ni meo impotenti sermone tanti viri laudes plus denigrare, quam celebrare videar. Celebrabuntur longe melius sui copiosi labores, quos posteri sicut praesentes admirabuntur, et stupescent.

PROLOGUS.

Excellentia Anglorum, Gallorum, Italorum, Hiſpanorum et Germanorum Vatum magna eſt. Sed Latinum Carmen poſſidet elegantiam, harmoniam, et correctionem, quae in illis deficiunt: verſus autem moderni dependent a rhythmis. Non opus eſt exponere argumentum contra modernos, auribus ſemper μονοτονίᾳ *gravatis; dum antiqui Vates occupant lectores variis ſonis in menſurâ nobiliore, et harmonia ſubliniore. Ad proſam bene ſcribendam debemus Poëſin conſulere. Graeca et Latina linguae optime intellectae ſunt in Anglia, et dant elegantiam animo. Nam Vates Graeci et Latini habuerunt elevatiſſima et ardentiſſima ingenia.*

Dives agris, sylvis, piscosis dives et undis
Et gregibus dives, supereminet insula Seland .

Nunquam Phoebeas ignavia craſſa coronas
Obtinuit, magni dubio terrore triumphi
Non inſtant, fatum cujus conſtantia vincit,
Et ſolvunt longos Alcidea facta labores,
Huic Diadema dandum.
Virtus firmatur terris nec legibus ullis,
Gaudet et alterna diverſus ſenſus arena.
Urbes et mores multos viſebat Ulyſſes,
Evincensque malum per tot diſcrimina rerum

Dignus erat patriae prudentia ſumma coronae.
Anglia me firmat, validum tenet illa Leonem,
Gallia dat charites, atque aurea lilia ſplendent,
Romanis aquilis ſtrepitu reſonante cohortor.
Illuſtris Medicus dignusque Machaonis arte,
Utilis in patria, peregrinis utilis arvis,
Pandit ad extremos myſteria tota colonos.
Guſtu diſſimili Veneres depinxit Apelles,
Diverſis ipſumque Jovem regionibus aptat.
Sic ſpero varios mulcens modulamine verſus,
Romae, Londino, Paridi mea Muſa placebit.
Jam longum tempus ſolio maeſtiſſimus alto
Ferratis thalamis Saturni ſederat haeres.
Rapta tenebroſo plangens Proſerpina lecto,
(Infelix princeps talis male nupta mariti)
Horrendam noctem ſtygias demiſerat umbras.
Exuerant claro paulatim ſydera coelo,
Et Venus aethereum nutu revocaverat aſtrum.

Tunc

Tunc Dea formoſi prima et gratiſſima mane
Aurora, immenſum radiis decoravit Olympum.
Sol fuit obliquo fulgens ſpectandus in arcu
Zodiaci, magnos quo cingit Zona Gemellos.
Solvuntur calidis dum frigida nubila in auris,
Plena dies patefecit opus mirabile mundi.
Jamque relinquendâ lente discedimus urbe
Hamburgo: ſuperamus tum montesque lacusque
Planaque Schleswiacis bene cultivata colonis.
Nec mora, volvivagum longe conſpeximus aequor;
Balthici, et Holſteinae confinia lata recedunt.
Parva ratis, ſimilisque tuae, Dea Cynthia! conchae
Auxilium praebet; ſpumantia marmora Beltae
Findimus, aequoreâ raptim ſtetimusque Fionâ.
Ruſticus hic madidam disjungens vomere glebam
Spargit fructifero ſemen violentus in agro
Menſibus in Maiis, dum Martis menſe Britanni
Agricolae duro finem impoſuere labori.

Aſſen, Oldenſee, Nuborg, Fionâque relictis
Navis adeſt, aliam Beltae trajecimus undam.
Fluctibus his gelidi poſuit fundamina Sceptri
Rex Sciold, meritis magno cum rege Canuto
Aethere translatus, quorumque inviſa poteſtas
Clauſa tenet liquidi Neptunia littora Sondi,
Et fert abruptus nunc Danica vincula pontus.
Dives agris, ſylvis, piſcoſis dives et undis
Et gregibus dives, ſupereminet inſula Seland.
Thebe olim viguit, clarae viguere Mycaenae,
Floruit et ſpiſſis infelix Troja theatris;
Sed periit Thebe, clarae periere Mycaenae,
Trojaque barbaricis jacet undique ſpreta colonis.
Sic cecidit pretioſa Tyros. fuit inclyta quondam
Urbs Babylon, ſed quo fuerit, vix rudera narrent.
Diſcite nunc turres elatae, urbesque ſuperbae,
Quam venit excelſis volucris deſtructio rebus!
Oppidum erat pulchrum Roſchild, et mercibus aptum,

Atque

Atque potens auro, multis domibusque celebre:
Nunc muros fragiles, et lignea tecta recondit.
Sed tamen ossa tenet vastis regalia Tombis,
Et sanctos Manes, monumentaque marmora Regum
Danorum, variis resplendet et urna metallis.
Finitum est caeptum, non longe gloria Dani
Eminet Arctoo formosa Coagia ponto.

Hafnia et intrepidûm Danorum Templa relicta,
Elſiner adgreditur borealis janitor undae.
Illic, ut perhibent, venerandi Patris imago
Viſa fuit nutuque ſuo perterruit Hamlet.
His quoque finitimis, referunt, crudeliter hortis
Toxica pertaeſo dedit uxor adultera ſponſo.
Hamletis oſſa tegunt ſat bella palatia regis,
Cum gratis virides commixtis floribus herbae,
Et ſceleris tanti veſtigia nulla ſuperſunt.

Turca-

Illic, ut perhibent, venerandi patris imago
Visa fuit, nuhuque suo perterruit Hamlet .

Turcarum dum Mars ad flumina concitus Hebri
Millia belligerûm praeceps in Tartara mittit,
Et Bellona feras temeraria concutit alas,
Primaque Dardaniis claſſem transmittit in undis:
En furioſa cohors, jugulatis undique Grajis,
Ardentes taedas ſpoliatam vertit in urbem;
Candida Relligio, ſacros violata capillos,
Invocat heu fruſtra Superos, nec tempore noſtro
Damna usquam miſeri tulerant graviora coloni:
Tutius in placidos Suecorum tendimus agros.
Altè montanûm ſylvoſa cacumina miror,
Et nudas rupes, ſpeluncas antraque magna.
Eſt via ſaxoſis late firmiſſima terris,
Compoſtat populus permixto cortice panem.
Juniper atque ilex, et myrtus, altaque pinus
Et cyparyſſus olet immenſis ardua ſylvis.
Incubat oblongos umbratica gleba colubros,
Contigit at nulli ſonitum ſentire frementem

Quem movet herboſo dirus baſiliſcus ab antro.
Partibus his totis nummorum copia non eſt,
Uſurpant chartas, quadrataque fragmina cupri.
Vomeris hic et ceſſit amor, ferrumque nefandum,
Et cuprum tundunt vaſta fornace recoctum.
Colligit expreſſas hic numquam conditor uvas,
Pampinus aut viridis colles diſtinguit amoenos,
Nec dulcis cultâ propendet ab arbore fructus.
Sueco concedit vitiis luxuque carenti
Corporis atque animi firmum natura vigorem.
Eſt locus extremis terrae relevatus in oris,
Tornea, qua ante oculos Sol fulget nocte dieque,
Et quando Heſperias paulo diſcedit ad undas,
Protinus oppoſito ſurgens viſendus Eoo eſt.
Illic convexi ſpectatur janua mundi,
Aſperaque effuſo fulgentia littora ferro:
At cum depoſuit glacialia membra December,
Marmora, campi, ſylvae atris aquilonibus horrent.

Tum

Eſt locus extremis terræ relevatus in oris Tornea .

Tum ſine luce dies terras, hominumque labores
Occultat, piceae funduntur in urbe tenebrae.
Rapta procelloſis volitansque per aëra ventis
Aedes Oceanum longè jactatur in altum.
Daemonibus ſimiles varias in fronte lucernas
Geſtant, et tunicis circumdant lampada Tornes.
Hic quoque ſunt Veneris munuſcula grata timenda,
Aequat et Auroram Septentrio ſortis amore,
Nam ludunt gelido calidiſſimae in aequore Nymphae.
Ridet divus Amor meditato dante veneno,
Heu male divus Amor! hominum ſuprema voluptas,
Abſinthî ſuccos dulcedine miſcet amari,
Et lacerat ſpinis juvenilia corda cruentis.
Nigrae hyemis pecudes mutantur flatibus albas,
Er circum villas ululant urſaeque lupique.
Saepe ſolent mactare greges oviumque boumque,
Paſtoresque ipſos, celerem lacerantque caballum.
Temporibus iſtis ſtricto mucrone viator

Heu male ſub gelido deduceret aethere noctem.
Stat circumfuſo Suecorum gloria ponto
Holmia, et extructae latis ſunt montibus aedes.
Vaſtus Guſtavi gladius ſervatur Adolphi,
Effigiesque minax ingentia porrigit arma.
Bis ſexti Caroli numeroſa trophaea ſuperſunt,
Vidimus et manicas, veſtem, chlamydemque cruentam;
Quique modo victor totum tremefecerat orbem,
Extingvunt pauci lethalia pondera plumbi,
Spiritus infernis rapidè cadit obrutus umbris,
Ut grave turbatâ deſcendit corpus in undâ:
Caſtaque marmoreo poſuerunt oſſa ſepulchro.
Reſpice victores fumanti ſanguine tinctos,
Quid valuere decus, quid gloria maxima, quando
Lethi terribilis gelidus tremor occupat artus?
Barbara perſequitur nos undique gurgite diro
Mors, ceu laniferas formidanda Hydra catervas.
Auro vir Macedo portas patefecit ahenas

Di uic

Et ludunt calidæ gelidiſsimo in equore nymphæ.

Diruit et donis contraria regna ſuperbis.
Semper Alexandrum velox fortuna ſecuta eſt,
Solis ad occaſum migrabat ſolis ad ortum
Agmina, et extremos conſpexit Maurus Achivos.
Ambo felices, ſinerent ſi fata, ſed ambos
Abſtulit atra dies, et funere merſit acerbo
Quid tentat dubium bellatrix turba periclum?
Sunt acies, claſſes, humanaque corpora prompta
Partibus oppoſitis, metus hinc terrorque pavorque,
Frigidus ut ſerpens pugnantum corda veneno
Inſerpit vapido, dant ſolaque fata triumphum.
Haud ſecus infandos turbâ damnante miniſtros
Atrox mortiferum reboat vindicta dolorem.
Inſani cives patriae per viſcera vadunt,
Tendit et ad certam discordia caeca ruinam.
Natura unam aperit Pario de marmore portam
Terrigenis, nos mille viis properamus Avernum,
Saeculaque innumera, ut rapidiſſima flumina volvunt.

Upſala ſcribentem antiquos celebrata per annos
Me tenet, et certe divino carmine digna
Upſala; quae cunctis cecinit, nunc ipſa canenda eſt.
Tranſit magnarum ſubito, ceu Lilia, rerum
Gloria, et in mundo nihil eſt durabile noſtro.
Omnia labuntur, ſed non periturus in annos
Eſt globus immenſos, mutatio nulla videtur
Igne, nec aëre, vel terra, fluidove profundo.
Ni Deus omnipotens funeſtum deſtruat orbem,
Idem ſemper erit, quod et eſt nunc, et fuit ante.
Si natura ſuo foret ipſa ſolubilis aevo,
Inciperet claras paulatim perdere flammas
Sol, ſenſim ante oculos decreſceret ipſa rotunda
Luna ſuae ſphaerae, ſolitas non campus et herbas
Porrigeret, notam pontusve lavaret arenam.
Upſala, quae quondam borealis gloria regni
Littora Bothniaci regnabat longa profundi;
Nunc viget ingeniis felix Academia magnis,

Omni

Upsala scribentem antiquos celebrata per annos Me tenet.

Omnibus in ſtudiis dum ſedula nutrit alumnos.
Quam peteret patriam, vel quos Sapientia portus?
Invenit heu nusquam tutos: Scelus undique regnat.
Merſa per invidiam virtus ploratur Athenis,
Doctus Ariſtoteles fugit, atque venena ſagacem
Actaeum perimunt, altâ Carthaginis arce
Hoſtes et cives discordia dira repellit,
Nec locus inveniendus adeſt, qui ferre ſagacem
Quosve queat ſapiens mores perferre malignos.
Ergo fulmineis reboantia marmora ventis,
Nec nos nocturnus ſylvarum terruit horror:
Quaerimus et libros, Doctorum grata caterva eſt.
Vos mihi Pierides et in otia digna juvetis,
Dum Pater aſtripotens animam tellure remotam
Transferat aeterni ad divina palatia mundi.
Vilis erat natura ſuis ſubmerſa tenebris,
Aeternâque dolens ſapientia nocte jacebat.
Prodidit obſcuro Linneus, ſapiensque ſagaci

Luſtravit Sophiâ, totumque laboribus orbem.
Intravi thalamos trepidantibus ecce camaenis
O Linnee! tuos, mitto exiguosque labores
Lucreto, Tu parce precor, quos Upſale verſus
Inter cunctantes ſcripſi, Venerande, Magiſtros.
Sit celeber Suecorum * flos, et piſcis, et ales,
Sit celeber denſis et Suecica Fauna ſub umbris.
Plaudite coelicolae! ſpatioſum pandite templum!
Jupiter aethereus fulgentibus intulit aſtris
Linnei ſydus nitidum, propriumque ſacravit.
Ingenii metuo vibrantia fulmina tanti,
Fortunate Sagax! veſtro monituque paventem
Adſpice me quatuor referentem carmine vano
Temperies hominum, ſignatas ordine Phoebi.
Bacchus amat roſeum perfuſo ſanguine labrum,
Myrtillasque Venus connectit grata coronas.
Bilis acerba, tenax, operoſas expolit artes,

* *vide Opera Linnei.*

Vul-

Vulnificumque rapit ferrum, funem, atque venenum.
Phlegma movet terras rigido cum pondere aratro,
Inſidiasque avibus tendit, piſcemque capeſſit.
Tympana rauca placent cholerae, ſonitusque tubarum,
Armiſonansque ferox quaſſatis turma pharetris.
Quid tibi Lappones, Fennones orbe remotos
Commemorem, vel flavum enormi corpore Gothum?
Non inter Lappos auro ſplendente theatra,
Non epulae aut gemmae, non pictae murice veſtes
Invidiam urgent, dirasque in certamina gentes.
Nec facienda jubentes, nec vitanda negantes
Leges conſervant ſtolidas, roſtrumque ſeverum.
Alpibus et ſylvis habitant, non Orpheus ipſe
Cogeret hos thalamos intrare, domosve, viasve.
Immemores famae, nec fas aut jura colebant,
Nec ſuperos; gelidi fulgorem ſolis adorant.
Deſpiciunt validi dum concava cornua tauri,
Paſcunt perceleres ramoſo vertice cervos,

Et

Et paſtoralem ducunt ſine crimine vitam,
Defuit utque aurum, tunc aurea ſaecla fuerunt.
Quot mala, quot culpas flavo ſplendore metallum
Addidit, injuriis ſemper nova pabula praebens!
Vixerunt homines ſine te, ſcelerate! beati,
Sed damnas magico mortalia facta veneno.
Ut volucris cantans, placidoque ſub aethere pendens,
Quando oritur tempeſtas, ſi perſiſtere contra
Tentat, vi venti rapitur, ſequiturque procellam:
Sic fruſtra opponunt homines decreta ſororum,
Et trahit aeterno velox fortuna tumultu
Nunc huc, nunc illuc mala non numeranda ferentes.
Debilis incedo rapidi fera murmura ponti,
Undique barbaricas quo ſurgunt ſaxa per oras,
Dirae ſpumosâ rupes celantur ab undâ,
Et ruit in variis incautus rector arenis.
Fluctibus ac tandem feſſis, ventoque remiſſo,
Alluor indomiti ſanctiſſima moenia PETRI.

Quadru-

Quadrupedes rigidis tandem ſolvuntur habenis,
Currus et Heſperio praeceps divergit in alto,
Appetit obſcurum *torpens* auriga cubile,
Dum redeat noſtris propenſior hora *flagellum*.

Herculis haud ſatis eſt geminas tranſiſſe columnas,
Turcarum Imperium, nec non Aegypton, et Argos:
Me vocat intrepidae nunc Ruſſia laeta Zarinae,
Immenſi cujus pars nondum cognita regni
Sinarum calidos pictorum tendit in agros;
Altera pars Finland, et Suecica littora dextro,
Et validos Polos, et Turcica Tartara tangens
Per Mare Caſpiacum Perſae deſcendit ad oras:
Denique per campos glaciatos frigore ſceptrum

Ten-



Tendit ad extremi gelidiſſima moenia mundi.
Quinque patet notis Ruſſorum pagina ſaeclis:
Naſcens, diviſum, oppreſſum, victorifer, atque
Florilegum; quorum regalia ſceptra tenebant
Rourikus, Swotapolk, George, Ivan Waſile, Petrus.
Permian, Yougorian, Caſan, vaſtamque Siberam
Vicerunt: Magnus Petrus tandem ipſe creator
Erigit excelſam praeclaris aedibus urbem.
Templa deauratis ſpiculant adaperta trophaeis,
Graecorum juſſu revocantur Principis artes.
Coeperat ingentes raptim aedificare carinas:
Vexillum toto volvens et in ordine Baltho.
Peterhof advenimus. denſis circumdata ſylvis,
Proſpectat Finni ſpatium admirabile ponti,
Praebens Ruſſiaco formoſa palatia Zaro.
Illic magnificis exercent luſibus undae,
Aut derepta cadit praeceps ſpumoſa vorago,
Altiſonans fractis fervens cataracta cavernis;

Aut fons irruptis altè ſupereminet undis,
Pendet et in ſe ſe, attollens ſine fine ruinas.
Colludunt reſonante diu Tritone canoro
Naiades aequoreae: Venus aurea, monſtraque multa
Collectos pellunt imo de gurgite fluctus.
Nunc aurata domus firmis conſtructa columnis,
Accipit intrantes varios, Regumque Miniſtros.
Muſica grata ſonat; votis CATHARINA ſecundis
Incedit lentè, magnâ comitante catervâ
Nobilium. Coelô radiantibus undique ſtellis
Luna refulgens tali majeſtate triumphat.
Caerula vitta fuit, ſplendens adamantis et aſtrum
Pectora celavit, bellique argenteus ordo
Veſtis, pendebant adamantina vincula collo.
Regni ſplendentes vaſti manibusque comisque
Divitias CATHARINA tulit, cultumque decorum.
Jam circumſtantes blando ſermone profatur,
Marmoreâque manu dare baſia grata licebat.

Jam-

Musica grata sonat votis Catharina secundis Incedit.

Jamque expectatis oculis diadema ſequentes
Legati proceres melliflua verba parabant.
Moenia percuſſô reſplendent alta metallô
Commixtis ſpeculis, laqueataque tecta refulgent.
Turba puellarum gemmis ornata ſuperbis,
Et juvenes, multô contextis veſtibus aurô,
Concutiunt nitidam pedibus pulſantibus aulam.
Nobilis accedit, verbis dixitque politis:
In hanc picturam peregrinos vertite ocellos,
Picta manu celebri Dominatrix noſtra ſuperbô
Fertur equô, virides induto corpore pannos.
Enſem *districtum* retinet ſua dextera, vultus
Aſpice perpulchros! ſparſis in terga capillis.
Exornant placidam radiantia lumina frontem,
Ora patent blandè tenerûm perplena roſarum.
Proſpera Ruſſiacis oriuntur tempora regnis,
Longaque ſit Dominae felix fortuna benignae!
Finierat Primas.

Muſarum lepidis fragrantia labra camoenis
Plaudite conceptis! et tu mihi carus Apollo
Adnue; Magnum opus eſt Tantam ceciniſſe Monarcham.





Flumine concreto formant grandes elephantos.

Nunc repeto curſum, faveat Ruſſanus Apollo!
Et vos Pierides! mulcentur carmine curae.
Aurea concordes ſonuerunt fila ſorores,
Divinisque capax impletur vocibus aether.
Hic CATHARINA immortali regnante, Draconis
Horrendae leges ſitibundae ſanguinis abſunt.
Cur heu perverſo numquam, iuſtiſſime, mundo
Exſurgis, Divine Solon! moresque reformas;
Undique fucatis tremit horrida terra ſceleſtis.

Orbe

Orbe fere totô confeſſio rapta miniſtrat
Criminis indicium: nam vera ac falſa loquuntur
Scilicet ad poenas ſolvendas excruciati.
Quid memorem celebris tormenta nefanda Philotae,
Pellaei Juvenis? furibundo victima juſſu,
Obrutus eſt ſaxis verba excuſantia dicens.
Damnatos nigram vel quos Acherontis ad undam
Carnifices mittunt gladiô? Spectacula vidi,
Moeſtaque barbarico fremuerunt pectora facto.
Lictor forte caput reſecat promptiſſimus ictu,
Oſſaque propulſus dum tranſit, ſibilat enſis.
Ille caput tendit plebi. Execrabile monſtrum
Advenit, horreſco: ſalientes ſanguine venas
Intentis manibus delirans virgo petebat,
Et bibit humanum, populo indignante, cruorem.
(Artibus eſt tantum Circaeis tetra cupido!)
Tunc ululant matres, pueri, miſeraeque puellae,
Hymnifer extremos dum cantat turba dolores.

Si

Si fuerit regio, quâ Sarmata juſſa Zamolxis
Nunc regnant, quâ bacchatur Rhadamanthus et orbus
Aſtuto vapidam ſervans ſub pectore vulpem,
Lectus ob hoc judex atrox: quis crederet unquam
Stultitias noſtrô tales ſubſiſtere ſaeclô?
Hic miſer, acceptis ſolidis, indagine cingi
Sentiret civis, donisque ingentibus emptus
Occluderetur tenebroſô carceris antrô.
Nec minus hic inſons, corruptô judice, poenam
Sufferret diram, funeſtâ ſorte piatus
Dedecus illatum, perjurae victima linguae:
Horrida ſigna dabunt rabidis erroribus aevi.
Infandum eſt fratres diverſam ob Relligionem
Perſequi et adverſos ferrô turbare Penates.
Conjugii ſtabilis nec cuiquam diſplicet ordo,
Sed tamen aeterni non cunctis convenit ardor.
Puncto praeſenti certe ſtatuiſſe futurum
Difficile eſt; tantum fert Juſtinianus honorem,

Et quia nunc cupio, ſibi dicere, Semper amabo,
Auſus erat, nexis onerans adamante catenis
Mortales. nuptis ſi jurgia mixta querelis,
Atrave perpetuis fugiſſent nubila ventis;
Denique conjugio ſi aſtutia major ineſſet,
Lex tua propoſitam retineret Juſtine! laudem.
Haec tamen ambroſiis legalia facta Camoenis
Non bene conveniunt: ſuaviſſima munera gaudent
Muſae, nunc Sarsci referam miracula Scelli.
Splendida templa patent, regalis pompa triumphat,
Totus odoratâ thalamus reſplendet in ambrâ,
Aulaque diffuſô radiat ſpectantibus aurô.
Hortus adeſt magicâ longè celeberrimus arte;
Ima petit currus, ſubitoque recurrit in altum,
Volvitur in praeceps iterum, iterumque reſurgit;
Vis celer exoritar magnis operata ruinis,
Proruit et lato ſonitu, lapſuque propinquo.
Deficit inde halitus, clauduntur lumina nocte,

Et



The Flying Mountains

Et gelidos motu convulſio corripit artus.
Quinque per excelſos rapidè petit aethera montes,
Quinque per infernas decurrit machina valles.
Attoniti, caeci terram ſuperamus, et undam,
Perque nemus, thalamosque volatica membra vehuntur.
Haud procul eſt lucus magicâ mirandus ab arte.
Mox quoque ſublimem ſtupefactus fertur in arcem
Spectator, ſolio per ſeſe attollitur imo.
Servus adeſt nullus, patefactaque gurgite ſtrata
Pandunt, appoſitam nitido videt ordine menſam.
Mixta coloratis adamantina moenia gemmis
Hic ſpectat ſummô demirans Phoebus Olympô.
Nam prope torrentem glaciata palatia Naevam
Conſtituiſſe diu referunt memorabile factum.
Quadratis maſſis frigens abſcinditur unda
Tempore brumali, magnisque laboribus arcem
Aedificant, rimas adſperſô flumine claudunt.
Intra perlucidos accendunt lumina muros,

Atque addunt pictis ludibria multa tabellis.
Flumine concretô formant grandes elephantos,
Delphinasque vagos, aliasque ex arte figuras.
Tanta gelu est moles, nec fortia dorsa recurvat
Millibus armatis atque aere tonantibus amnis.
Plura locutus eram, sed nostra negotia solae
Non sunt Pierides, alios sequimurque labores.



Enſe fodant rabidum ſanguiflua corda luporum.

Venatio.

Pompa vale! et vos Petroburgica numina; felix
Ingria tendentem retinet, famoſaque Narva,
Urbs ubi diffuſis Ruſſorum Carolus armis
Obtinuit multa madefactum caede triumphum.
Nos juvat egregios portus attingere Balthi.
Riga ferax ferri, lini, lignique Revella eſt,
Anglis et Batavis pretioſis mercibus aptae.
Livonico juveni latè venaria proſit:
Si placet in monſtris bellum decernere ſaevis,

Colligit

Collligit exacto charos in tempore amicos,
Ipſeque montanûm ſylvoſa cacumina ſcandens
Urget iter, coelô radiat dum lucifer alto.
Salve percelerum pharetratus rector Apollo,
Tuque Diana canum! ſylvas habitamus opacas
Livoniae; venatorum referamus honores.
Nubigenum immani de ſtemmate Centaurorum
Chiron erat quondam venandi doctus in arte.
Mille puellarum, puerorum mille ſagittas
Exacuit, jaculumque dedit cornuque ſonandum.
Arriſere omnes Centauro: Semicaper Pan
Haſtis inſtituit poſitis, et in ordine curvo
Ducentes hilares viridi tellure choreas
Sylvani, Satyri, Fauni, Nymphaeque Napaeae
Artibus invadunt animalia regna cruentis.
Diſcipuli Theſeus, Telamon, furibundus Achilles,
Et Cephalus Divâ raptus, veloxque Atalantia
Archilochusque pius mortem pro patre peremptus,

Caſtus

Caſtus et Hyppolitus tecum Meleagre fuerunt.
Sanguineus Diomedes, et verſutus Ulyſſes,
Captores Trojae, ſtudium a Chirone tenebant.
Plaudite venantes! ſequitur victoria curam,
Et ſedet in ſummo venantum Divus Olympo.
Sylva ſonat longè catulis latrantibus, ardens
En ſonipes tremulat praecognita odore ferarum.
Per campos virides ſudantibus acta caballis
Turba canum ruit, in denſos penetratque receſſus.
Undique concurſus hominum eſt, petit aethera clangor.
Configunt alii jaculis agitantibus urſas
Horrendas, alii paſſu propiore ſequentes
Enſe cavant rabidûm ſanguiflua corda luporum.
Urſâ venatori nec fera ſaevior ulla eſt;
Comprimit amplexu furibundi pectoris hoſtes,
Dentibus evellit deſperans bellua acutis,
Ruptaque ſanguineô transfigit viſcera campô.
Vitat triſte lupus pugnam, catulique trementem

Extemplo lacerant. ululantes undique matres
Nocte ſuper mediâ per ſylvas funera plangunt.
Nec minus hic ſtudiis venantum Luna ſecundat:
Mollia nocturni lepores dum pabula carpunt,
Venator tendit paſſu per prata ſilenti
Vincula, et effoſum male claudit frondibus antrum.
Hic piſcoſa palus tranquillo panditur ore:
Languida res forti eſt, tremulo contendere piſce,
Stagnantive lacu fluitantia ducere lina.
Lynx placet intrepido; timido genus omne volucrum,
Effugit et lynces, pavidas ſequiturque columbas.
Regia montanus venatu eſt victima gallus,
Rarior acceſſu niſi cum flagraret amore.
Inſidens ramo praecluſis cantat ocellis:
Fulminat incautum juvenis, miſerumque cadentem,
Omne nemus reſonat perruptis pondere ramis,
Reddit Livonico crudelia feſta tyranno.
Horrendas epulas, heu! corpora digna ſepulchris

Veſci-

Veſcimur; Intra homines clementia nulla relicta eſt.
Memel per portus intramus regna Boruſſi,
Praebuit ingreſſus multum laudanda Konigsberg,
Turrigerisque potens Danzig circumdata vallis.
Deſperabundi ſervant caſtella Poloni,
Jactat et intactâ munimen virginitate.
Tutius imbellem eſt aliquid concedere Atlanti,
Quam fatô, atque armis caram ſubvertere pacem.
Urbibus his intra tumulatas littus arenas
Continet, expoſtus peregrinus mille periclis
Procedit, dumque incauti nos nocte per aequor
Tendimus, extemplo ſpiſſâ caligine nubes
Sydera convolvunt, reboant coeleſtia templa
Fulmine, turbatae franguntur rupibus undae.
Hoſpita reſpicimus ſero tua tecta, quietus
Agricola! horrendô circumdatus undique pontô
Neſcit eques curſus, anceps auriga malorum
Perditus eſt ſpatiô, veſanis vocibus auras

Fruſta impellens, vires ingeminantque caballi
Percuſſi. Tandem ventoſam vincimus undam.
Amplius extenſum monſtrat mihi carmine dignum
Nil iter, aggredior Berlinas laetus ad arces.
Portas ante ipſas fulgentes aere Gigantes
Et vidi et ſtupui, ſubito dum murmure feſſos
Audax praefectus circumdat milite currus.
Jo triumphe! ſonabant, vitâ et ſanguine noſtro
Victoriam dabimus Divini Principis armis.
Tum redeunt animis ingentia Caeſaris acta
FREDRICIS invicti. Heroem ſuſtollere tantum
Deficit ars, animaeque cadunt, ni Victor Apollo
Admovet auxilium ſummos celebrare triumphos.
Dî maris et terrae! Divi noctesque diesque
Volventes ruptô flagrantia fulmina coelô,
Raucô terrentes mortalia corda tonitru!
Quique ſedent nitidis lunâ ſplendente ſub aſtris,
Atque viam carpunt celeri per nubila pennâ,

Vos



Audax præfectus circumdat milite currus.

Vos ego conjuro! auſcultate precamina noſtra.
Spargite confuſim vanis terroribus hoſtes
Anglorum! impavidis, Pia Numina! civibus atrum
Tollite diſſenſum, et dum libera jura reclamat
Anglia, praeſervent fauſtiſſima recta beatam.

EPISTOLAE
URBANITATIS CAUSA SCRIPTAE
INTER F* B ET *C* L*
AD
ORIGINEM HUJUS OPERIS SPECTANTES.

Vir longè Sapientiſſime,

Si omnes, ſicut ego, cogitarent, non ſolummodo capſulas aureas, ſed maximos honores et emolumenta pro Te darent. Felix qui Te audit, et eſt ter felix patria, quae te poſſedit. Res abditae, quas non ſcripſiſti ex timore coecae malignitatis humanae, plus valent quam theſauri Scientiarum Tuarum, quos ſummâ conſideratione perlegam, et Te inter celeberrimos Philoſophos in aethere locabo. F. B.

Holmiae, die 16. Jun. 1769.

I. C. de B. S. D.
C. L.

Uti in te, Illuſtriſſime Domine Comes, praeſente miratus ſum, ſummam ſapientiam poſſe naſci in viro opulento, ita et nunc magnanimitatem Tuam: dum projicis aurea dona viliſſimis homuncionibus, qualis ego ſum. Mehercle cana prius gelido deſint abſynthia campo, quam Tui immemor vivam. Incede viam Tibi ſoli perviam, dum ego legam ſuave manuum Tuarum opus. Upſaliae Junii die 18. 1769.

Petropoli die 18. Julii. 1769.

Amiciſſime L.

Magnum plane gaudium littera a Te Holmiâ reſcripta mihi praebuit. Cognoſco alios melius, quam me ipſum. Si aliquid boni in me inveniſti, Tua benevolentiſſima anima et longiſſima Sapientia me minime latuerunt. Accipe nunc verſiculos incluſos, et ſi paulum placent Tibi, aliquid perfeci. Rogo veniam imperfectioni meorum operum itinere compoſitorum, quoniam facile, momento tranquillitatis, corrigi potuerunt.

Maneo ſummo cum reſpectu, et cum veneratione aeterna Tuus amicus obſequentiſſimus et humillimus ſervus. F. B.

Illuſtriſſimo Comiti, de B. S. P. D.

C. a L.

Quod tam cito attigiſti oras Ruthenicas, Tibi Illuſtr. Comes animitus gratulor; quod vero mei homuncionis non oblitus es, mihi pleno gaudio gratulor.

Pro continuatione carminum Tuorum de itineris progreſſu grates reddo devotiſſimas. Video, quam Tu non ſis factus ſed natus Poëta. Dum Virgilius deſcribit Μετεμψυχοσιν ſeu animarum transmigrationem, de ſe dicit: Olim Achilles eram. Sic Tu dicere poſſis: olim Virgilius eram. Audivi multa de Imperatricis magnificentia; nullus tamen Eam magis Te vividè delineavit. Legi jam

bis

bis opus Tuum de itinere orientali, idque ſummo cum oblectamento. Polles eâ Sapientiâ, quâ potes paucis verbis magis vividè delineare argumentum, quam alii diffuſiſſimo ſermone. Sequor Te votis meis, Teque tamquam coram me ſiſto, quoties intueor donum Tuum, pretioſiſſimum omnium, quod ab ullo in vita accepi - - Sint Tibi fata proſpera. Upſaliâ; 1769. 15. Aug.

Vir longè Sapientiſſime,

Litteras Tuas hic ſummô gaudiô recepi; nam quotidie utilitatem Tuorum librorum percipio. - - - - -

Praeparatum opuſculum mitto, quod ſi non ingratum erit, Socrati pro aeterna memoria meae affectionis Tibi dedicare propono. Poëta ſum per accidens, non per me. Poëſin ſolum per elegantiam, et ad proſam bene ſcribendam ſtudui. Virgilium minime me exiſtimo: hic vates coeleſtis ingenii viginti annorum laboribus divinum, et immenſum opus praeparavit, et, ſi Linneum perlegiſſet, errores ejus phyſicos non deploraremus. Amici Tui cognomine interrogatus, non me Σοφον, ſed Φιλοσοφον vocabis. Annô vigeſimô aetatis labor et deſiderium fuit vera ex falſis, neceſſaria ex non neceſſariis, poſſibilia non poſſibilibus, bona malis diſcernere: et ad hoc periculoſiſſimum opus, ſubito percepi, quod multâ doctrinâ in phyſicis, et in moralibus, ex-

perientiâ veritate mixtâ, magna cum prudentia indigerem. Per totam Europam iter feci. Ex lectură ſeptem linguarum ſcientiae chaos abſtraxi. Sors addidit experientiam, in omnibus multo contrariam, ſed cariſſimam. Libertatem veram, et homini neceſſariam excolui. Nam gentes multae vocantur liberae, ſed longè diſtant. Libertas humana oppreſſa eſt inutilibus ponderibus. Leges impoſſibiles, et vanae opiniones nec Diis, nec Principibus, nec populis proſunt; mechercle autem producunt miſeriam maximam. Coarcti, et concentrati homines nihil grande efficiunt. Aſpice arbores pulcherrimas. Ramorum luxuries umbram praebet, et gaudemus, donec hyems funeſtâ clade folia diſcutit. Omnia igitur praejudica ſubjeci pedibus, et, ſi Deus prolongat atomi meae tempora, ad editionem tanti operis neceſſaria, ſpero me aliquid ſubſtantivum humuno generi profuturum eſſe: ſi non; (ut Poëta dicit) in magnis voluiſſe ſat eſt. Debemus veritatem quaerere; ſed ut illam inveniamus, non eſt exigendum. Maneo ſummo cum reſpectu, et amicitiâ Tuus F. B. Dresdae, 20. die Octobris, 1769.

Viro Immortali de B. S. P. D. C. L.

Accepi aureos tuos Verſiculos, Illuſtr. D. Comes, quibus iter tuum Dresdam usque deſcripſiſti; nec pulchrius legi umquam. Selecta enim verba ita exprimunt puriſſimos ſenſus, ac ſi oleò

oleô inuncta eſſent. Lector horum tamquam per paſſus Te ſequitur toto itinere, ita vivis coloribus depingis peragratas regiones. Faxit Deus, ut feliciter abſolvas, quae reſtant itineris, dum me participem reddere non dedigneris fatorum Tuorum, ſcias neminem Te puriore, et majore affectu proſecuturum, neminem puriore gratitudine Te culturum, neminem e tuis litteris majorem voluptatem umquam obtenturum. In Te enim priſca virtus radiat. Tu in ſumma felicitate non fucô, non aurô externè ſplendes, ſed ſummâ ſapientiâ internâ fulges. Te ſapientiorem certe vidi neminem. Aurea tua carmina legi et relegi millies; quod me his exhilarare voluiſti, grates reddo, et reddam, dum vixero, ſummas. Mihi ſumma gloria erit, numerari inter Tuos cultores vel infimum. Deus Te ſervet incolumem. Upſaliae 1769. Novembr. 13.

Auguſtâ Vindelicorum,
die 6. Januarii 1770.

Nomen Linnei, ſicut Sol, ſemper exhilarat meum Μικροκοσμον. Tuae litterae, heri hic receptae, mihi verè levamini fuerunt; nam proſtratus jaceo ex continua agitatione corporis et mentis, nec minus ex moerore cari capitis, qui, ut audivi, nunc vivit in aeternum. Faciebam hodie dedicationem, ne exeam e mundo re infectâ; ſed vires minimè cum voluntate concordant. Multum auxi opuſculum, et ſtolidiſſimè precor, ut iterum legas.

Impen-

Impenſam curſûs tantae chartae usque Upſaliam aliquo modo compenſare conabor. Obſecro, ut non me Σοφον, ſed Φιλοσοφον velis exiſtimare. Carmina mea et haec quoque vana ſunt. Crederem Te eſſe penitus laſſatum humanis fabulis, praecipue poëticis, ita ut ne quidem aurem praebeas: ſed cum ſis humaniſſimi ingenii, veniam dabis meis erroribus. Neminem habeo apud me pauco ingeniô et caritate praeditum, qui emendet, vel ſupprimat ineptias. Latinâ tentavi pro Te et doctis; Anglicâ pro patria, et Gallicâ linguâ pro ceteris. Dilacerent, ſi velint, critici; Αρχιτεκτων verborum non amplius ero. Homerus, Virgilius, ceterique vates unâ tantum linguâ, et nativâ ſcripſerunt: ſed ſi componere voluiſſent verſus et proſam heroicam variis linguis et idiomatis, propria facientes, nullum ſpecimen habemus, quô modô ex tanto labyrintho ſe eripuiſſent. Vale, iterumque vale. Adjungo, Te ſemper a me veneratione ſummâ colendum eſſe, dum inter mortales maneo. F. B.

Illuſtriſſimo Generoſiſſimoque Comiti B* S. P. D. C. a L.

Accepi tuas, Vir Sapientiſſime, d. 6. januarii Auguſtae datas, cum incluſis divinis iis Carminibus. Neſcio, utrum in his idearum puritas, an etiam verborum pictura praeponderet, ubi ambæ ſacratiſſimô connubiô ita junctae ſunt, ut ſimile non vide-

viderim. Quod autem mihi inſcribere velis immortale opus, non capio; vereor magis, ne meo rudi nomine nitidiſſima Tua Carmina tamquam levi figurâ oblinas. Novit nemo me melius debilitatem ingenii propriam et παρορᾶματα mea heu nimis multa: niſi eô velis umbram addere picturae, ut purior exſurgat, tanquam pulcherrima Venus fuliginoſo Vulcano nupta etiamnum formoſior evadit: vel etiam cum fata Tibi ſoli et conceſſere ſatis opum, et ſimul ſapientiam ſummam, ut non opus habeas flectere genua Regibus; Deos imitaris, qui, cum non habeant pares, beneficia ſua conjiciunt in infimos homunciones. Nunc vero, dum video placuiſſe Tibi, mihi inſcribere immortale opus, id effeciſti, ut anxia ſemper mente colam Sapientiam in Te ſummam. Dabam Upſaliae, 1770. 6. Febr.

Cariſſime L.

Recepi nuper litteras Tuas elegantiſſimas, die ſexto Februarii Upſaliae datas: Sed me magnis titulis oneras, qui tamen is ſum, cui tam grandia minime conveniant, nec qui hujusmodi mihi arrogare velim, conſcius debilitatis, humanitatisque meae. Sed neceſſe eſt, ut ego Te venerari non deſiſtam; omnes enim gentes opera Tua laudarunt, neminemque alium Tibi anteferendum putarunt. Et cum ſis omnium gratioſiſſimus, etiam vim noſtram poeticam non indignaberis, multo enim et inceſſante

labore carmina perfeci, tanto (ſicut Tu es) ut placerem Viro. Semper mihi viſa eſt barbaries linguarum modernarum, ſicut herba parietaria, Poëſin magnificam obduxiſſe. Linguis hodie florentibus deficiunt ſucci integri, radices firmae, luxuriantesve rami, humoque inſerpunt. Mitto tibi opus tandem correctum et impreſſum. Lege, et, ſi placet, applaude. Nunc autem abſunt typi multi, elegantes, qui ex manibus artificum nondum prodierunt. Hoc opus, pro te praecipue factum, non ſcripſi ſolummodo, ſed etiam adornavi. Vale, feliciſſimèque vive ad annos Neſtorios: ego autem epiſtolam, more poëtico, carmine concludam. F. B.

Sacras, legiferas, doctas ſequererne phalanges
Dum dubito, in riſum ſolvit Apollo lyram.
Qui tentat Sophiam mundo proferre ſiniſtro,
Heu miſer invidiae dente peremtus erit.
Nil tibi cum tantis; non ſaecula vana juvabis,
Aptior Aonii ſuavia ad arma Dei.
Aptior et ſtudiis, nitido caetuque Sophorum
Vates magnanimos, clare Viator! amo.

Illuſtriſſimo Comiti de B* S. P. D. C. L.

Hodie iterum habui honorem Sapientiſſimi Comitis, d.25. Januarii ſcriptas accipere; ad mores devotiſſimum meum reſponſum dedi ante aliquot dies. Quotidie lego et relego Tua divina Carmina, et quotidie magis magisque intelligo profundiſſimam Tuam ſapientiam. Te non tangat malitia humana: noviſti homines eſſe naturâ malos, ſolâ culturâ et ſapientiâ evadere bonos. Laetare, quod habeas invidiam, et rideas: miſer natus eſt, qui caret invidiâ. Quo major felicitas, eo major invidia. Tu longe ſupra invidiam poſitus es; Te non attingat. Profecto, ſi eſſem in Tua felicitate, ut Tu, viverem. Quae major felicitas, quam poſſe vivere, ubicumque placeat, videre orbem et gentes, habere, ut nihil deficiat, omnia? Pro honore, quo me velles cumulare, grates reddo devotiſſimas. novum hoc eſſet documentum favoris Tui in me: ſed dudum receptus fui non tantum in Societate Regia Londinenſi, ſed et in Anglicana quae oeconomica curat, et Edinburgenſi etiam; ſum enim membrum Societatis Londinenſis, Anglicanae, Edinburgenſis, Pariſinae, Monspelienſis, Toloſanae, Florentinae, Bernenſis, Cellenſis, Berolinenſis, Petropolitanae, Holmienſis, Upſalienſis, Naturae curioſorum Nidroſienſis; adeo plurium, quam quibus poſſum ſatisfacere.

